

bique ratio; parum enim refert, sive gravitas damni objectiva cognoscatur simul tota in una acceptione, sive in pluribus successive, si in neutra acceptione cognoscatur formalis gravitas.

Ad prob. 1. R. 1°. Cons. Quia, etiam præscindendo a quæstione et controversia præsenti, adhuc recte damnata est dicta propositio; quia universaliter ait, non esse obligationem restituendi sub poena peccati mortalis, quod ablatum est per plura furtarum minorarum, velut 1°. si antequam committeret furtum ultimum parvum, adverterit, se peccare graviter perveniendo ad summam gravem. 2°. Si damnificator habuerit animum successive per furtarum minorarum pervenienti ad summam gravem; sic enim gravitatem formalis ignorasse dici non potest. 3°. Quando res per furtarum ablatarum adhuc extant apud furem vel formaliter, vel in æquivalenti. Igitur sententia nostra non infertur ex cit. propositione damnata. Quare etiam

R. 2°. D. Cons. Ergo datur ea obligatio aliquando, ut in recensitis modo casibus C. semper, etiam quando ignorata fuit gravitas formalis N.

Neque dicas: Nullus Theologus tradiderat, non esse obligationem gravem, etsi in ultimo furto parvo advertat fur, se completere summam gravem; vel etsi res successive ablatarum extent adhuc apud furem; ergo propositio a Lovaniensibus delata fuit in sensu nostro, in eoque damnata. Nam

R. 1°. N. A. Primum, non dari obligationem gravem, etsi in furto ultimo adveratur gravitas formalis, satis multi docuerant, teste CARDEN. in Crisi ad hanc prop. ac varios refert MOJA Tract. VI. Disp. IV. q. 4. Alterum ex priore inferebat VERARDUCIUS, et cum eo plures; absolute ita asserebat HIER. DE ANGESTO Cap. VI. Moral.

R. 2°. N. et Cons. Cum enim propositio, ut jacet, vario in sensu accipi possit, non sequitur, in nostro determinate sensu vel delatam; minus, damnatam fuisse.

Ad prob. 2. R. D. seq. Ergo ex singulis simul sumptibus nascitur obligatio gravis, si fuerit cognita etiam gravitas formalis C. secus N. In nostro casu æque parum plures obligations leves possunt coalescere in unam gravem, quam plura peccata levia in unum mortale.

Ad prob. 3. R. Evidem inde gravis contrahitur tandem obligatio; at non ea ex ratione, quod plures obligations leves ex natura sua tandem coalescant in unam gravem; sed ex contractu mutui, quo homines ita solent inter se convenire, ut crescente materia crescat obligatio, etsi mutuum petatur interruptis moraliter vicibus; hinc quantitates singulas unam deum in summam computant.

ARTICULUS IV.

AN ET QUANDO EX CULPA MERE JURIDICA, VEL QUASI CULPA ORIATUR OBLIGATIO RESTITUENDI TAM EXTRA, QUAM INTRA MATERIAM CONTRACTUUM?

588. Præmitto. Culpa juridica est omissione diligentiae requisitæ a legibus ad præcavendum alterius damnum. Varias ejus species vid. in Diss. V. Art. VI. n. 504. Procedit vero præsens quæstio de culpa mere juridica, hoc est, quæ culpam simul theologicam admixtam non habet; ac quidem pro foro theologico, sive interno conscientiæ, utrum pro eo detur obligatio re-

stituendi ante sententiam judicis damnum ex culpa mere juridica, aut quasi culpa datum. Est vero quasi culpa, quæ facto per se licito, sed male applicato, proinde sine dolo, committitur vel a nobis ipsis, vel ab aliis, quorum tamen culpa nobis imputatur ob relationem specialem superioritatis in illum, a quo commissa est; cujus exempla paulo post dabis.

Occasionem vero controversiae leges civiles dederunt, quæ compelli jubent ad id genus damni resarcendum, et coerceri aliquando pœna, qui deliquerit, ut lex Aquilia, leges, sic dictæ, noxales.

589. Lex Aquilia (sic appellata a Tribuno plebis Aquilio) tria olim continebat capita, e quibus duntaxat primum et tertium supersunt; secundum enim jam JUSTINIANI tempore ab usu recessit, §. 12. *Inst. de leg. Aquil.* In priore capite eviderit iuxta pr. ff. ad L. Aquil. cavitur, ut, qui servum servam, alienum alienam, quadrupedem pecudem (id est, non qualemcumque quadrupedem, sed animal, quod gregatim pascitur, §. 1. *Inst. h. t.* ut equi, muli, oves, capræ, etc.) *injuria occidisset*, quanto id eo anno plurimi fuerit, tantum res dare domino dannas esset. At si IMPERATOREM in *Inst. ad L. Aquil.* audimus, ad idem caput hi duo casus pertinent: Primus, si arborem putando prætereuntem servum occideris, ramo cadente prope viam, nec satis mature proclamaveris (idem hodie extenditur ad refectores tectorum) culpæ reus eris, et præstare debebis damnum. Secundus, si medicus curam servi suscipiens dereliquerit eurationem, et servus ideo mortuus fuerit; vel si imperite secuerit, aut medicamentum dederit; quod idem universaliter statuitur in *Constit. crimen. Caroli V. art. 134.* Sed, attenta consuetudine, raro culpa medici vocatur in judicium, quia, ut dicitur, errata medicorum terra occultat; beneficia autem sol illustrat. Tertio autem capite cavitur, ut ceterarum rerum (quocumque modo damnum datum fuerit) præter hominem et pecudem occisos, si quid alteri damnum faxit, quod usserit, fregerit, etc. quanti ea res fuerit in diebus 30. proximis, tantum res domino dare, dannas esset. L. 27. §. 5. ff. ad L. Aquil.

590. Casus vero, in quibus ex quasi culpa leges nos condemnari jubent ad reparandum damnum, recenset IMPER. *Inst. L. VI.* Velut 1°. Judex per imprudentiam male judicando item faciens suam, in quantum Praetori videbitur, condemnandus est. 2°. Cum quid ex ædibus nostris dejectum, vel effusum fuerit, unde transeunti damnum datum, quin aliquo signo prius moneretur, si quis domesticorum auctor fuerit, ignoretur; vel si solvendo non sit, patersfamilias non solum obligatur ad reparandum damnum; sed et contra eum dupli, quantum damni datum est, constituta est actio. 3°. Similiter si damnum datum est in capona, vel navi, vel stabulo, contra exercitorē, sive eum, ad quem quæstus quotidianus pertinet, in factum actio competit, *Inst. de Oblig.* quæ quasi ex delict. 4°. Si animal alias natura mansuetum sua sponte, feritate, vel pavore præter naturam sui generis pauperiem fecerit, hoc est, alterius animal occiderit, vel vulneraverit, competit lœso contra dominum animalis lœdantis *actio de pauperie*, ut vel damnum reparet, vel animal noxæ dedat, hoc est, transferat in dominium lœsi, *Inst. si quadrup. paup.* Idem est, si servus tuus damnum dederit. *Inst. de noxal. Act.*

391. *Dico I.* Neque de jure naturæ, neque de jure positivo datur obligatio reparandi damnum, ante sententiam judicis datum ex culpa mere juridica, aut quasi culpa.

Prob. 1^a. pars. Si daretur hæc obligatio, ergo vel ex re accepta, vel injusta acceptione; non enim datur alia radix obligationis naturalis; sed ex neutra datur ista obligatio: non ex priore; quia supponitur, rem neque in se, neque in æquivalenti apud damnificatorem existere: non etiam ex posteriore; quia damnum fuit sine omni culpa theologica; sive peccato injunctio; ubi vero nulla est contra jus naturæ culpa in conscientia, nec jus naturæ obligare potest in conscientia, juxta dicta n. 573. Deinde si juxta dicta Art. præced. nequidem culpa theologica levis, præsertim semidelibera inducat obligationem gravem, si damnum illatum grave fuerit, hoc reparandi; quanto minus culpa mere juridica, vel quasi culpa?

Prob. 2^a. pars. Nam 1^a. lex Aquilia, aliæque, quantum quidem ad excessum ad quem obligari et condemnari supra quantitatatem damni volunt, mere poenales sunt, ipso asserente IMP. §. 9. Inst. de leg. Aquil.: *Qua ratione creditum est, poenalem esse hujus legis actionem, quia non solum tanti quisque obligatur, quantum damni dederit, sed aliquando longe pluris.* Ideoque constat in hæredem eam actionem non transire, quæ transitura fuisset, si ultra damnum nunquam lis aestimaretur: atqui regula est, omnium Doctorum et proborum firmata usu, ad poenam subeundam per se loquendo non esse obligationem in conscientia ante sententiam judicis, nisi ipso facto incurrienda dicatur, ut subinde poenæ Ecclesiasticae.

2^a. Neque lex Aquilia, neque aliæ intendunt obligare in conscientia ante sententiam; plerumque enim eos loquendi modos adhibent, qui sententiam ante ferendam supponunt. Sic L. 2. C. de Leg. Aquil. ait IMPER. *Ut id damnum sarciat, competentis judicis auctoritate consequeris... ejusdem judicis cura impetrabis.* Sic §. 8. Inst. Si quadrup. pauper. Quod bonum et æquum judici videbitur, tanti dominus condemnetur, ait JUSTINIAN. L. 1. pr. ff. de his, qui effud. vel dejec. promittit Praetor, se judicium daturum... quantum æquum judici visum fuerit, tanti judicium daturum. Item L. 5. §. 6. ff. cod. Adde, nec leges illas eo in rigore, ut obligent ante sententiam, receptas esse; ut ex usu et praxi Doctorum et proborum colligitur, eas illo in rigore non observantum. Et vero cum leges illæ eo tendant, ut civium diligentiam acuant in præcavendis damnis, id sufficienter obtinent, dando actionem læso in judicio, ut ad reparandum sibi damnum compellatur lædens per sententiam judicis, post quam erit etiam obligatio reparandi in conscientia, ut infra dicetur.

392. *Dico II.* Neque datur, per se loquendo, obligatio in conscientia ante sententiam judicis reparandi damnum ex culpa mere juridica datum inter contrahentes, vel materia contractuum.

Prob. Iisdem fere rationibus, quibus prior Conclusio. Nam 1^a. hæc obligatio æque parum ex re accepta, vel injusta acceptione, sive jure naturæ erui potest. 2^a. Nulla quoque lex positiva afferri potest, quæ hanc obligationem in conscientia sufficienter exprimeret; ergo nec imponi debet. 3^a. Nec ex consensu aliquo tacito contrahentium ea obligatio colligi potest; quia hic consensus tacitus sine fundamento asseritur.

Dixi: *Per se loquendo*, sceluso scilicet speciali pacto; si enim contrahentes se speciali conventione obligassent ad præstandam etiam culpam mere juridicam qualemcumque, haud dubie erit tunc obligatio in conscientia ad reparandum ejusmodi damnum, cum pacta generaliter alias de re honesta pariant obligationem naturalem. Quin ita se obligare possunt ad præstandum etiam casum fortuitum.

393. *Dico III.* Probabilius tamen est, dari utroque obligationem etiam in conscientia, reparandi tale damnum post sententiam judicis. Ita communior cum MOLINA, LESSIO, auctorum sententia, contra REBELL. HAUNOLD. et quosdam alios.

Prob. Lex Aquilia et leges noxales sunt prorsus rationabiles ac justæ, spectantes bonum publicum; intendunt enim acuere diligentiam civium ad præcavenda damna, ne damnum inferatur aliis vel a se, vel a suis, vel animalibus; neque nituntur aliqua presumptione falsa culpæ theologicæ; ergo et justa erit sententia juxta has leges lata, nullaque nitetur presumptione falsa: atqui sententia justa in conscientia obligat; jus enim naturale exigit, ut pareatur superiori vel judici juste et secundum leges imperanti. Et vero nisi hæc daretur obligatio parendi judici in conscientia, neque leges obtinerent sufficienter suum finem, nec satis firma et efficax esset auctoritas judicis, cum damnificans etiam post sententiam reparationem damni omitteret; vel si compelleretur a judice vi, posset uti remedio compensationis tacite, unde recluderetur janua litibus novis, ac confusionibus.

394. *Obj. I. contra Concl. 1^{am}. et 2^{am}.* I. Lex justa pro foro externo est etiam justa pro foro interno: sed lex Aquilia et cæteræ leges noxales justæ sunt pro foro externo; ergo etiam pro interno, pro eoque obligabunt. Confirmatur inde, quod quidem lex Aquilia non sit mere penalitatis, ac adhuc minus leges cæteræ noxales; sed tam prior, quam aliae sunt rei persecutoriæ, cum concedant actionem in factum, ex quo scilicet alteri damnum securum; ergo et in conscientia obligant.

II. Conformius est æquitati naturali, ut damnum potius ferat is, qui hoc voluntarie dedit, quam alter, qui id innocenter passus est: sed qui omisit diligentiam a legibus requisitam, voluntarie damnum dedit; ergo.

III. Jus canonicum ipsum ad reparationem damni ex mera culpa juridica dati obligat: at hoc jus forum internum respicit. *Prob. maj.* Nam GREGORIUS IX. cap. fin. de injur. et damno dato, interrogatus a quodam, an teneatur reparare damnum, quod ex ignorantia dedit, respondit: si culpa tua datum est, vel injuria irrogata; seu aliis irrogantibus forte opem tulisti; aut hæc imperitia tua, sive negligentia evenerunt, jure super his satisfacere te oportet; ergo est obligatio pro foro conscientiae reparandi tale damnum ante sententiam; Pontifex enim non respondit judici, sed pœnitenti. *Conf. ex C. consuliisti.* Caus. 2. Q. 3. ubi STEPHANUS V. monet parentes, ut tenellos infantes non collocent secum in uno lecto, ne qualibet negligentia proveniente suffocentur, vel opprimantur, unde ipsi homicidii rei inveniantur.

Ad 1^{am}. R. D. Ant. In quantum lex lata pro foro externo, pro codem obligat C. secus N. Leges vero, Aquilia et noxales, non obligant pro foro externo ante sententiam ad reparationem damni culpa mere juridica dati;

ut constat ex tenore legum in prob. Concl. sed tantum dant laeso actionem contra laudentem, ut judex hunc ad reparandum damnum condemnnet. Hinc obligant pro foro externo, ut 1^o. laedens a judice ad instantiam laesi citatus compareat in judicio; 2^o. ut condemnatus damnum resarciat; et sic etiam obligant pro foro conscientiae.

Ad Conf. T. A. N. Cons. Quia permissio, quod non sint mere penales, si legislator noluerit obligare ante sententiam, ante hanc nulla erit obligatio: atqui ante sententiam noluit obligare; plerique enim leges supponunt ferendam sententiam, ut ex allatis supra liquet. Quin etsi, cum legem ferret, ante sententiam obligare voluisse, eo in rigore vel non recepte sunt, vel abrogatae contraria consuetudine.

Ad 2^{um}. R. T. M. N. min. Etsi talis voluntarie omittat, ex quo damnum sequitur; si tamen connexionem damni non cognoscat, vel non advertat, se hic et nunc obligatum ad majorem habendam providentiam, damnum ipsum voluntarium non est, ut dictum Articulis superioribus.

Ad 3^{um}. R. N. A. Ad prob. N. Cons. Pontifex enim non loquitur de culpa mere juridica, aut ignorantia vel imperitia qualicumque, sed vincibili ac theologicis culpabilis, ac proinde de culpa theologica; subdit enim: *nec ignorantia te excusat, si scire debuisti.*

Ad Conf. Eadem est responsio; cum enim in tali casu semper sit periculum, ne tenelli infantes opprimantur, negligentia ea est conjuncta cum culpa theologica; unde et in quibusdam Dicēcesibus casus ille reservatus est, ut quidem refertur de Salisburgensi et Basileensi.

593. Obj. II. cont. Concl. III. 1^o. Lex Aquilia, aliisque noxales leges fundantur in presumptione culpe theologicae; ergo, dum haec non subest, nequidem, mediante sententia judicis, obligant in conscientia; quia presumptione cedit veritati, et tam leges quam sententia nituntur supposito falso. *Prob. Ant.* Nam lex Aquilia quidem loquitur de damno *inuria dato*, juxta *pr. Inst. et L. 3. ff. ad L. Aquil.* *inuria* vero importat culpam theologicaem. Deinde lege Aquilia non teneatur infantes, furiosi, amentes, quia scilicet culpe theologicae et talis dandae injuriae incapaces sunt.

2^o. Damnum sine culpa theologica datum se habet ut casus fortuitus: at nec lex Aquilia, nec leges aliae concedunt actionem damnificato per casum fortuitum; ergo vel fundantur in presumptione culpe theologicae, vel, etsi hoc non, tamen nec post sententiam obligare quempiam possunt in conscientia.

3^o. Jus naturale deobligat damnificantes ex culpa mere juridica; ergo per sententiam judicis in conscientia saltem obligari non possunt.

4^o. Sententia judicis non est majoris efficacie, quam leges ipsae; judicis enim est declarare jus, non jus novum condere: atqui lex Aquilia et leges noxales in conscientia non obligant; ergo.

5^o. Si judex possit condemnare ob culpam mere juridicam; ergo vel solum ob latam, vel etiam levem, ac levissimam: sed neutrū dici potest. *Prob. min.* Nam primo non ob solam culpam latam, quia in *L. 44. ff. ad L. Aquil.* etiam expressa fit mentio culpe *levissimae*; deinde si etiam condemnare posset ob culpam levem, ac levissimam, id nimis esset rigidum; ergo.

Ad 1^{um}. R. N. A. Ad prob. 1^{am}. D. Loquitur de damno dato *inuria*, in

sensu praeceps theologico *N.* juridico saltem *C.* *Inuria* in sensu theologico culpam theologicam importat, non vero semper in sensu juris; definitur enim *inuria*, *L. 5. ff. ad L. Aquil.* *Quod non jure factum est, hoc est contra jus...* *Igitur inuriā hic damnum accipiemus culpa datum, etiam ab eo (N. B.) qui nocere noluit.* *Igitur inuria in sensu juris abstrahit a culpa theologia.*

Ad prob. 2^{am}. R. Infantes vero, amentes furiosi, ideo lege Aquilia non tenentur, non quia culpe praeceps theologicae, sed quia incapaces sunt diligentiae ad praecavenda damna, adeoque et culpe juridicae.

Ad 2^{um}. R. D. Damnum illud se habet ut casus fortuitus in estimatione theologica, ut propterea non sit obligatio restituendi naturalis, ante sententiam judicis *C.* in estimatione juris civilis *N.* Etiam culpa juridica opponitur casui, ut liquet ex §. 3. *Inst. h. t.* ubi dicitur, hac lege non teneri eum, qui *casu occidit, si modo ejus culpa nulla inveniatur: nam alioqui non minus ex dolo, quam ex culpa quisque hac lege tenetur.*

Ad 3^{um}. R. D. A. Deobligat eos absolute, ac simpliciter *N.* solum pro casu, quo lex positiva, juste lata, eos non obligat *C.* Jus naturale eos non deobligat pro omni eventu, quo scilicet tales justis de causis obligandos statuit. Responsionis fundamentum aliquoties datum est. *Vid. Diss. V. c. 2. n. 524.*

Ad 4^{um}. R. D. min. Dictae leges non obligant in conscientia absolute *C.* non obligant in conscientia sub conditione, si sententia judicis accesserit *N.* Igitur sententia judicis non est efficacie majoris, quam sint ipsae leges; sed solum implet conditionem legum, qua posita, obligatio earum evadit absoluta. *Responsio colligitur ex tenore legum supra, et prob. Concl. III.*

Ad 5^{um}. R. Condemnare potest et ob culpam latam, et ob levem ac levissimam, sed diversimode; estque hic ordo: 1^o. ut quis condemnetur ad poenam ordinariam corporis et infamiae, nequidem culpa lata sufficit; sed requiritur *dolus*. *Arg. L. 23. §. 2. ff. de Ædilit. Edict.* In eoque judicio culpa lata et dolus non aequiparantur; sed solum quotiescumque ad restitutionem rei, sive ad interesse civile, vel pecuniarium agitur, *L. 226. de V. S.* tuncque unice culpa lata doli appellatione continetur, *L. 1. §. 1. ff. Si mens. fals. mod. dix. et aliis.* 2^o. Ut quis condemnetur ad reparationem damni et poenam legalem pecuniariam, ut poenam *dupli*, aut *quanti plurimi* intra eum annum, vel 30. dies, de qua citate supra LL. culpa lata exigitur. Et vero non satis proportionata alias poena videtur culpe levi, aut levissimae, spectata conditione humana. Quin lex Aquilia, aliisque, quando ad poenam simul damnificantem condemnari jubent, plerumque de culpa lata loquentur. 3^o. Ut quis condemnetur ad solius reparationem damni, sufficit culpa levis, ac levissima; quod vult *L. 44. cit.* et fatentibus adversariis, sententia communior. Nec iniquum aut aequo rigidius id est, cum id publici boni causa ordinatum ad praecavenda damna; atque aequius sit, ut damnum ferat is, cuius aliqua culpa illud accidit, quam ille, cuius res est, et nulla culpa. Deinde, si leges noxales etiam sine culpa obligent, quin propterea injuste aut aequo rigidiiores sint; etiam non erit aequo rigidius, condemnare ad reparandum damnum ex culpa juridica levi, et levissima.

Neque dicas: Leges noxales non jubent reparari damnum totum, sed

contentæ sunt, si servus, aut animal noxæ tradatur; idque etiam post sententiam relinquunt in domini arbitrio. Nam

R. Quod leges noxales ita condemnent sine omni etiam culpa; igitur recte ita procedunt: at vero in casu altero culpa aliqua præcedit; igitur hæ leges merito condemnant ad aliquid plus, reparationem damni.

Ex dictis deducitur: 1º. Qui ex culpa alterius mere juridica, vel quasi culpa, sive alieno servo vel quadrupede passus damnum est, nequit ante sententiam judicis querere sibi ipsi reparationem damni ex bonis alterius; nec, etsi abigere possit, potest animalia aliena suis in agris deprehensa vel occidere, vel eis inferre damnum. 2º. Qui post sententiam judicis reparavit damnum datum alteri culpa mere juridica, nequit uti compensatione occulta, quia solvit, quod debebat in conscientia; obligatio enim, quæ pro foro conscientiæ juxta leges erat conditionata ante sententiam, per hanc absoluta evasit.

Quæri hic loci præterea solet, quid restituere teneatur possessor tam bonæ, quam malæ fidei; at cum de hoc actum, quantum satis, Diss. II. c. 4. toto; non est, quod idem hic repetatur.

ARTICULUS V.

QUO ORDINE, LOCO, QIBUS EXPENSIS FACIENDA RESTITUTIO?

Accidit non raro, ut debitor plus debeat ac pluribus, quam ut satisfacere singulis possit; inde præcipue, nec sine difficultate, movetur questio, quis eo casu præ aliis jure prælationis gaudeat?

596. *Dico I.* Si res aliena apud debitorem existat in natura, ut res locata, commodata, deposita, furto sublata, parapherna uxoris, dos non vendita, item res vendita, si pacto speciali hujus dominium sibi reservarit vendor usque ad solutionem, hæc vero nondum secuta sit, suo quæque domino est ante omnia restituenda.

Ratio est, quia dominium istarum rerum mansit penes concedentes, et dominium dotis non venditæ naturale penes uxorem; ergo ex his rebus, utpote alienis, non potest fieri solutio creditoribus aliis, sed, cum res claret ad dominum, huic restituenda est. Deinde cum dominium sit species juris realis fortissima, vi ejus domini istarum rerum vincunt jus et privilegium quocumque aliorum creditorum. Ex consuetudine huc etiam Ecclesia pertinet, communitas religiosa, aliaeque causæ pœ, quoad res sibi venditas, donatas, legatas; cum sine traditione acquirant dominium. L. 24. C. de SS. Eccl.

597. *Dico II.* Re aliena suo domino restituta, ereditores cæteri, attento jure Romano, juxta diversa prælationis jura commode ad quinque classes rediguntur.

PRIMO LOCO ii veniunt, qui ita sunt speciali juris privilegio muniti, ut iis præ omnibus cæteris satisfieri debeat; suntque 1º. qui impensas fecerunt in

item, sive in judicio edictali, in confectione inventarii bonorum; L. ult. §. 9. C. de Jur. delib. 2º. Impensæ factæ in funus debitoris; vel eorum, quorum sepulturam curare debebat debitor, velut uxoris, liberorum. L. 43. ff. de relig. et sumpt. fun.

SECUNDO LOCO vocantur hypothecarii rursus speciali juris prærogativa gaudentes, ita ut præferri debeat aliis anteriorem similem, vel dissimilem hypothecam habentibus hoc ordine: 1º. Fiscus in causa debitoris primipili (quo nomine hodie Praefectus annonæ militaris, vel stipendiorum intelligi potest) ad incitas redacti, L. 4. C. in quib. caus. pign. L. 3. C. de Primip. Ac rursus fiscus idem quoad tributa, collectas, præstaciones publicas, L. 1. C. in quib. caus. pign. 2º. Qui crediderunt ad militiam emendam, si sibi de hypotheca prospexerint, Nov. 97. cap. 3. 3º. Uxor ejusque liberi ratione dotis numeratae, Nov. ead. cap. 2. non vero ratione paraphernalium, nec donationis propter nuptias, L. 12. §. 2. C. qui potior in pign. 4º. Qui crediderunt ad refectionem ædificii, L. 1. ff. in quib. caus. pign. Quia enim is rem suis nummis salvam fecit totius pignoris causam, ne res omnium hypothecariorum detimento periret, merito his etiam in re adhuc extante præfertur. 5º. Qui crediderunt in refectionem navis, alteriusque rei adhuc extantis, in emptionem domus, expresso tamen cum pacto, ut res sua pecunia comparaata sibi pignori esset, L. 3. C. qui pot. in pign. Quia et hic ea ratione creditorum omnium conditionem meliorem fecit. 6º. Pupillus, cuius pecunia res empta est, L. 7. ff. quib. pot. in pign. 7º. Qui pecunia sua quedam redemit ab hostibus, L. 2. C. de capt. et postlim. 8º. Fiscus in bonis a debitore acquisitis post contractum cum fisco initum, L. 28. ff. de jur. Fisc. L. 6. C. de priv. Fisc. 9º. Qui hypothecam habet publico instrumento munimtam, præfertur tempore prioribus, quorum hypotheca aut nulla, aut privata duntaxat scriptura munita est, L. 11. C. qui pot. in pign. Ratio est, quod scriptura privata facile fraudibus pateat, non æque scriptura publica: limitatur tamen, nisi scriptura privata habeat subscriptionem duorum, trium probatorum testium; quo casu, quia cessat periculum fraudis, hypotheca hæc alias tempore prior non vincitur ab altera posteriore publico munita instrumento.

TERTIO LOCO succedunt creditores hypothecarii simplices, sive nullo speciali prælationis privilegio donati. Quoad hos igitur obtinent sequentes Regulæ generales: 1º. Creditor hypothecarius qui prior est tempore, potior est jure, quæ est R. 34. J. in 6. tam in agendo, quam excipiendo, ita ut, si cum aliis agat, et hypothecam vindicet, eam præ aliis auferat; si possideat, contra eum agatur, exceptione ac retentione tutus sit. Hæcque prioritas temporis stricta est, mensuranda etiam ab hora, etiam momento, non tamen contractus vel rei traditæ, sed constituti pignoris, L. 11. pr. L. 12. §. 4. et ult. ff. qui pot. in pign. Quia, qui momento prior est, revera est prior tempore. Procedit etiam data regula, si hypotheca simplex prior sit solum tacita, posterior expressa; sive generalis, sive specialis sit; conventialis, vel judicialis, sive præatoria; quia ex nullo jure potest ostendi hæc exceptio; ergo regula manet in possessione.

Neque dicas: L. 2. C. de Pignorib. et Hypoth. specialis posterior præferri videtur hypothecæ generali anteriori; nam, ut constat ex casu a Glossa formato, lex aliud non vult, quam quod pignus posterius debeat manere